

in Vide Basnage Hist. Jud. c. 16. a. 2. n. Flury not. Mss. in Ezech. o. Vide Hermipp. apud Josephum lib. contra Apion. & Aristobul. Jud. apud Clement. Alex. l. 1. Strom. & Euseb. 1. 12. Prapar. Huel. de Demonstr. Evang. p. Selden. Synagm. de Diis Syr. Godefrid. Vedelin. lib. de Pythagora Tetrachy.

& diligens, plurimumque Homero similis. Juvat admirari, quantâ spiritus præfentiâ Reges Tyri, & Ægypti Propheta alioquatur; quantâ eloquentiâ vi percellat Principem Juda, totamque demum Israëlâ populam, sive Idololatriâ, sive effrenis licentiâ reum. Similitudinibus, metaphoris, & figuris præ cæteris Prophetis frequentior est; facile quoddam in Chaldaâ agenti familiarissimo ejus gentis stilo utendum videretur (m). Hæc de ejus stilo Hieronymus Pref. in Ezech. Sermo ejus nec satis disertus, nec admodum rusticus, ex utroque mediè temperatus. Alii hos viro characteres assignant (n). Gravitas & vis huic propria.

Sunt qui autumaverint, apud S. Clementem Alexandrinum Strom. l. 1. Nazaratum Assyrium Pythagoræ præceptorem, cum Ezechiele confundendum. Pythagoras Chaldaam percurrabat, viros doctissimos ejus regionis invisitans; quare convenisse Ezechielem, eumque præceptorem audisse, insigni sapientiæ famâ clarum, par fuit. Ita persuasum tenent quicumque cogunt Ezechielem Pythagoram autumant; nec alibi didicisse credunt Philosophum illum ea, quæ de Moaisicis Legibus (o) norat, ac potissimum illud de Tetrachy (p), sive quaternario; nempe, ut ipsi quidem autumant, de nomine Jehova, quatuor Hebraicis literis constanti.

Verùm S. Clementi Alexandrino alia fedit sententia, nunquam scilicet Pythagoram Ezechielem vidisse censens. Etenim si non prius Babylonem venit Pythagoras quam post confectam Cambysis in Ægyptum expeditionem, ut ex Jamblico in ejus vita constat; si pariter Pythagoras eodem tempore in Italia versabatur, quo Brutus Patrum à tyrannide Tarquinii relevavit, ut Cicero Tusculan. QQ. lib. 4. author est; vel si post quatuor à Numa generationes eò se contulit, ut Dionysius Halicarnasæus l. 2. est testatur; frustra planè Philosophus hic Prophetam nostrum audisse assereret. Namque anno à capta Jerosolyma 14. Ezechiel vigesimum muneris sui annum agebat; & Cambyses non nisi 50. annis post hunc annum 14. Ægyptum jure armorum subegit (q).

Legimus in vitis Prophetarum Pseudo-Dorothei, & Epiphani, plurimis claruisse Virum hunc in Chaldaâ prodigiis; Tribus Dan, & Gad in Babylonia judicasse; simulque in illos Idololatriæ crimine reos, immixtis perdendis eorum filiis, & gregibus anguib; animadvertisse; ac tandem in regione Spyrorum, sive facillè Saporum sepulturæ mandatum. Verùm tota eorum historia ad eò malè sibi constat, ut nihil gravius quàm par fit, de illis censeamus, si totam fabellâ & traditionibus popularibus infectam arbitremur.

q Vide Usser. ad A. M. 3480.

DISSERTATIO

AN DECEM TRIBUS E' CAPTIVITATE reduces Regionem Israeliticam repetierint?

Fatis functo Salomone, decem Tribus excusso domus David jugo, simulque avitâ religione desertâ, in crimen prolapsæ sunt; quanquam non ita multò post ipsæ vicissim à Domino derelictæ, manibus adversariorum permitterentur. Pressi namque Reges Israel à Damascenis, opem Assyriorum Regum implorare coacti sunt. Ita, verò illos defensores habuerunt, ut simul etiam tyrannos & oppressores nacti, tandem suis exspoliati omnibus, patriisque sedibus orbati in Transsephratæam transmigrarent. Primus horum malorum turbo excussus est in Tribum Ruben, Gad, & dimidiam Manasse, quæ simul omnes trans amnem morabantur, & Tribum Neptali in superiori Galilæa, quas omnes ultor Teglatphalassar (a) gladius dispersit; dein in reliquis totumque Samarizæ Regnum Salmanassar non dissimili supplicio animadvertit (b).

Post narratam hanc decem Tribuum calamitatem, Scriptura tota in Regni & Tribus Juda narrandis rebus occupata, utpo-

te quoddam ex illis Messas expectaretur, nihil de rebus decem Tribuum curavit amplius. Frustrâ verò nos earum vestigia conquisivimus per universas Orientis Provincias, eas maxime quæ translatae illas è lectione Libri Regum suspicabamur. Ubique occurrerunt quidem Israelitæ, nec tamen unquam invenisse contigit, quod maxime optabamus; nempe decem Tribus inter se distinctas, & distinctum Reipublicæ corpus constituentes. Restat, ut frustra alio conquiritur, in sua tandem ipsæ regione quarantur, quod facile nobis felix faustumque eveniet.

Præjudicatæ quidem opiniones vehementer nostris conatibus opponuntur. Id in adversam planè sententiam inclinasse Patres, & Interpretes ferè omnes ultro fatentur. Restitutas jure postliminii suis sedibus decem Tribus nullibi legimus expressum. Quo demum Authore, quo Duce, quo tempore, quâ occasione redierunt? Jussus à Deo Osee 1. 6. natum sibi filium, absque misericordia appellavit; quo nominis oraculo de futuris sibi eventibus Domus Ephraim instrueretur: Non addans

a 4. Reg. 17. 29. b 4. Reg. 22. 6. & 18. 10. 11.

ultra misereri Domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.

c Antiquit. lib. 10. c. 15.

d Vide etiam in Ezechiel. 27. p. 962. nov. Edit. e Vide Sanct. in Ose. Vat. alios.

Josephus, qui gentis suæ res florentissimas, quantum aliâs unquam post captivitatem, spectavit (c), testatur, decem Tribuum regionem exilii sui tenentes ad eò in Transsephratæis crevisse, ut in immensum penè aucta essent. S. Hieronymus in Osee 1. 6. disertè testatur: Decem Tribus usque hodie Persarum Regibus serviunt, & nunquam est eorum soluta captivitas (d). Ad stipulantur nostrorum Interpretum plerique (e).

His tamen omnibus opponimus loca Prophetarum, à quibus de reditu decem Tribuum apertum testimonium pronunciatum est. Idem Osee, qui cap. 1. nullam expectandam veniam Domui Ephraim edixit, idem, inquam, vers. 10. pollicetur: Et erit numerus Filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur. Et erit in loco, ubi dicitur eis: Non populus meus vos; dicitur eis: Filii Dei viventes. Et cap. 11. 10. 11. Deus furoris sui gladium in Domum Ephraim se minime exerturum dicens, addit: Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum; & collocabo eos in domibus suis. Lege etiam de reditu è captivitate cap. 13. 14. 15. & 14. 2. 3. & c. ejusdem Prophetæ. Amos 9. 14. Et convertam captivitatem populi mei Israel, & edificabunt civitates desertas & inhabitabunt. . . . & plantabo eos super humum suam, & non evellam eos ultra de terra sua, dicit Dominus Deus tuus. Abdias versu 18. 20. Et erit domus Jacob ignis, & domus Joseph flamma, & domus Esau stipula, & succendetur in eis, & devorabunt eos. . . . & transmigratio exercitus hujus filiorum Israel possidebit omnia loca Chanaanorum usque ad Sareptam.

Isaias 11. 13. florentes Israelitarum res post captivitatem prosecutus, ait: Dominus levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel à quatuor plagis terræ, & auferetur zelus Ephraim, & hostes Juda peribunt: Ephraim non ambulabit Judam, & Judas non pugnet contra Ephraim; i. e. in unum Reipublicæ corpus Israel universus colligetur.

Eadem insinuat Dominus, mandans Ezechieli super gemina ligna scribere, in altero quidem: Juda & Filiorum Israel & sociorum ejus; in altero: Joseph & cunctæ domui Israel sociorumque ejus; ita verò inscripta jungere præcepit, addens: Faciam eas in lignum unum, & erunt unum in manu Domini (f). Addit Propheta cap. 16. 55. Samaria & filia ejus revertentur ad antiquitatem suam, & tu, (Juda) & filia tua revertentur ad antiquitatem vestram. Denunciat pariter, post deletum Gog solvendam captivitatem Jacob: Et miserebor, addit, omnis domus Israel. Tandem cap. 48. ut disertis reditu decem Tribuum exprimat, novis partitionibus Chanaanitidem distribuens, singulis duodecim Tribubus, quemadmodum olim à Josue factum, singulas portiones assignat.

Sed hæc obscuriora sunt præ Isaiâ, qui nempe de tempore agens post sublatum

f Ezechiel 37. 16. 19.

extremum adversarium populi sui, nempe Cambysen; Et erit, ait, in die illa, claudetur tubâ magnâ, & venient qui perditii fuerant de terra Assyriorum, & qui ejeti erant in terra Ægypti, & adorabunt Dominum in monte Sancto Jerusalem (g).

Gemina legas apud Jeremiam 31. 7. & c. Exultate in latitia Jacob, & hincite contra caput gentium, personate & canite, & dicite: Salva, Domine, populum tuum, reliquias Israel. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terra. . . . Adducam eos per torrentes aquarum in via rectâ, & non impingent in ea, quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est. Et cap. 3. 18. Ibit domus Juda ad domum Israel, & venient simul de terra Aquilonis ad terram, quam dedi patribus vestris. Horum omnium oraculorum fides expleta est, cum Esdras (h), impetratâ à Rege Artaxerxe facultate regrediendi in Judgam, omnes Judæorum & Israelitarum simul & Sacerdotum reliquias collegit, ne incolis quidem montis Caspii neglectis.

Idem Jeremias cap. 16. 14. Dies veniunt, ait, & non dicitur ultra; Vivit Dominus, qui eduxit Filios Israel de terra Ægypti; sed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de universis terris, ad quas ejeti eos. Et cap. 49. 2. Dies veniunt, dicit Dominus, & auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum, prælii, & erit in tumultum dissipata, & possidebit Israel possessores suos. Tandem cap. 50. 4. 10. 20. Venient, ait, Filii Israel, ipsi & filii Juda simul ambulantes, & stantes properabunt, & Dominum Deum suum quarent. . . . Et reducam Israel ad habitaculum suum, & pascetur Carmelum & Basan, & in monte Ephraim & Galaad saturabitur anima ejus. In diebus illis quæretur iniquitas Israel, & non erit; & peccatum Juda, & non invenietur, quoniam propitius ero eis, quos reliquero.

Zacharias 9. 13. magnificis verbis redeuntis Judam & Ephraim atque restitutam urbem Metropolitim prosequitur. Quoniam extendi tibi Judam, quasi arcum, & implevi Ephraim. Et. 10. 6. 10. Et confortabo Domum Juda, & domum Joseph salvabo; & convertam eos, quia miserebor eorum; & erunt sicut fuerunt, quando non proieceram eos. . . . Congregabo illos, quia redemi eos, & multiplicabo eos, sicut ante fuerant multiplicati.

Tobias vir, si quis alius, Propheta à Deo in captivitate excitatus, futurum pronunciat: Quoniam omnes benedicentur & congregabuntur ad Dominum (i). Et cap. 14. 6. Non excidit verbum Domini; & fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Israel, revertentur ad eam. Azarias filius Oded Prophetæ Domini, ita Asam Regem Israel ejusque exercitum omnem affatur (k): Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, & Sacerdote doctore, & absque Lege. Cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israel, & quaesierint eum, reperient eum.

Michæas 2. 12. post prænunciatam decem

g Isai. 27. 11. 13.

h 1. Esdra 7. 28. Et confortatus manu Domini Dei mei, qua erat in me, ego congregavi de Israel Principes, qui ascenderant mecum. Et ibid. ver. 7. Et ascenderunt de filiis Israel, & de filiis Sacerdotum, & de filiis Levitarum & c. Et cap. 8. 17. Et misi ad Eddo in Chasphbia loco, ut adducerent nobis ministros domus Dei nostri & c.

i Tobia 13. 12. 17.

k 2. Par. 15. 1. 2. 3. 4.

cem Tributum captivitatem, solvendam. tandem illam his verbis annunciat: Congregatione congregabo Jacob totum te: in unum conducam reliquias Israel; pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum. Tumultuabuntur a multitudine hominum. Ascendet enim pandens iter ante eos: dividet & transibunt portam, & ingredientur per eam, & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.

Vix aliud in Veteri Testamento vaticinium disertius expressum teneretur, si unum excipias Messia adventum Regnumque, quam quod de solvenda decem Tribuum captivitate prolaturum est. Nobis vero apertius aliquid demonstrandum suppedit, nempe impleta horum vaticiniorum ad litteram fides. Possent enim aliqui obtendi vaticinia a conditionum eventu pendentia, quibus, ne implerentur, obstitissent Israelitarum crimina, divinis promissionibus aggerem sese opponentia. Quare non nisi probatoribus Israelitis contigerit, ut promissae sibi libertatis compotes fierent. Possent tandem Oraculorum fides tum deum implenda sperari, quando in exitu saeculorum una ex omnibus gentibus Ecclesia coegetur, reduci quoque tandem spatio veritas in scenam prodibit. Nos quidem haec ultro damus, futurum agnoscentes, ut tandem Israelita noverint in quem transfixerunt; sed huic universi Israelitis consensio tanquam figuram aliquam praecessisse regressum decem Tribuum a captivitate ante Christi adventum, demonstrandum in praesentia suscipimus.

Nec agendum hic ducimus de Israelitis illis, qui post schisma Jeroboam, ejus partibus desertis ad Roboamum Regem Judam geminasque Tribus avitae religioni fideles defecerunt (1). Convenit enim inter omnes, illos cum geminis Tribubus in unum corpus coaluisse, earumque fortunas secutos, unam cum illis captivitatem, ac deinde liberationem per Cyrum habuisse. Scitum est etiam, post Regnum Samariae eversum, plures ex Israelitis in partes Regnum Juda transisse (m); si qui vero reliqui in avitis sedibus permanserunt, illos in jus appellationemque Cuthaorum transisse, ceterarumque gentium, quae ex Transseptuariae in Palaestina transmigrarunt (n).

Afferendum est igitur nobis in praesentia, omnia haec minora fuisse, quam ut vim Prophetiarum Oraculorum expererent; si quando enim concederemus, modicam Ephraimitarum, Manassis, Aser, ceterarumque Tribuum portionem in Jude nomen appellationemque translatis, eadem cum illis libertate fuisse donatos; plurimum tamen deesse crederetur ad explendam prorsus ad litteram oraculorum fidem, quorum eventus proinde in ipso saeculorum exitu Judaeis omnibus ad fidem & Religionem conversis expectaretur. Nos ergo plus aliquid evincendum suscipimus; contendimus enim sanioem duodecim Tribuum partem avitas sedes soluta captivitate Babylonicam repetisse.

Luculenta sane in eam rem argumenta

exhibent Libri Esdrae & Macchabaeorum, quae unica sunt canonica monumenta de rebus post captivitatem Babylonicam consulenda. Legimus 1. Par. 9. 3. 4. censuram Ephraimitarum; & Manassis, una cum Juda & Benjamin Jerosolymam migrantium. In Esdra regressorum una cum Zorobabele, in quo nomina etiam captivorum ex Elam (o), & Megbi (p), urbibus sive provinciis Perfarum, recensentur. Porro regio Elam neminem latet, nec minus in historia Persica notum Megabyzi nomen. Mentio pariter ibidem occurrit captivorum a Thelmela (q) & Thelharfa reducum, quae nos loca proxima Cappadociae credimus; mentio educorum ex Aden & Emer, nempe, uti facile credimus, e provincia Eden, & Armenia. Esdras per Legatos suos invitavit dispersos in montibus Capis (r). Omnia plane haec loca non Tribus Juda & Benjamin, sed decem Tribus pervia fuisse inde constat, quod decem Tribus in ea regione exilium subierint, quemadmodum e collatis simul Esdra & 4. Reg. 17. 6. intelligimus.

Mentio etiam inducitur Israelitarum, qui ante transmigracionem sedem habuerant in Nebo & Pahat-Moab urbibus Transjordanicis (s); & cum census institueretur redeuntium a captivitate, non omnes quidem ut genealogiam suam sive e Juda sive e Benjamin probarent, exposcebantur, sed ea res tantum a singulis petita, ut probarent: Verum ex Israel essent (t). Tandem censum illum claudit Esdras 1. Esd. 2. 70. his verbis: Universusque Israel in urbibus suis habitavit. In primo vero Paschate post captivitatem, in gratiam filiorum Israel celebrato, immolati sunt 12. hirci caprarum, singuli nempe pro singulis Tribubus (u), parique vitulorum numero, e Babylone reduce Esdra, litatum est.

Cur autem, rogo, duodecim & hirci & vituli in Sacrificium oblati, si decem adhuc Tribus in Transseptuariae detinebantur? Levitae sub Nehemia confessi sunt crimina decem Tribuum, 2. Esdrae 11. 29. Sub Macchabaeis tota regio a Judaeis & Israelitis tenebatur, nempe Galilaea universa, Phoenicia, Judaea, & montes Galaaditidis (x) quos ab hostibus oppressos Judas Macchabaeus, ejusque frater prompta ope relevarunt. In celeberrima illa Versione Septuaginta adornanda selecti e singulis Tribubus sex viri, in Aegyptum ad eam rem destinati sunt (y). In Evangelio Matt. 4. 15. memorantur Tribus Zabulon, & Nephtali, luce praedicationis Jesu Christi illustrata; & Apostolus causam suam defendens, invidiam subuisse se prodit, quod spem affuisse annunciarit duodecim Tribubus Israel, ejus desiderio noctu diuque tenerentur.

Verum quo maxime tempore decem illae Tribus redierunt? Facta enim a Cyro redeundi in Palaestina copia ad unicam Tribuum Juda spectasse, pro singulari illa, qua Deus populum hunc suum dilectum prosequeretur benevolentia, creditur, Nos hanc Dei vigilem in Judam providentiam ultro agnoscimus; sed persuasum nihilominus

o 1. Esdr. 2. 7. 31. p Ibid. ver. 30.

q Ibid. ver. 54.

r 1. Esdr. 8. 15. 17.

s 1. Esdr. 2. 29.

t Ibid. 11. 59.

u 1. Esdr. 6. 16. 17. & 8. 35.

x Vide 1. Macchab. 5. 9. 15. &c.

y Vide Aristot. Histor. & Josephi. Antiquit. l. 12. c. 2. pag. 389. & seq.

bus tenemus, Cyrum eodem serè tempore eodemque pariter beneficio ceteros a Nabuchodonosore ductos captivos donasse. Ita eo permittente restituti sunt, quemadmodum alibi fufius demonstravimus, Moabita, Ammonita, Aegyptii, Phoenices, ceterique demum omnes.

Quare eodem simul tempore, quo Tribus Juda & Benjamin ad propria remeantur, Israelitae pariter e reliquis Tribubus, quamquam de illis Scriptura silente avitas sedes repetierunt. In Chronico Samaritano sub A. 3905. legimus, Israelitas e captivitate rediisse, copia redeundi facta a Rege Sauredio, vertente anno 35. Summi Sacerdotii ab Abdelo gesti; remeasse vero addit 300000. numero, una cum familiis suis sub Principe Ado Filio Simonis. Tantum sane populum in gratiam gentis suae plus nimio exaggerasse. Author videtur; nec vades nos pro reliqua historiae veritate exhibemus. Sauredius autem potuit Assadonem sive forte Darium designare. At subleam Authoris fidem in medio relinquamus. Cum Tribus Juda, Levi & Benjamin non nisi per turmas & temporum intervalla avitas sedes repetierent, plurimas adhuc ex illis sub Dario Hyftaspis, Artaxerxe, & Alexandro, Regibus in Judaeos propensis, in Chaldaea mansisse constat. Ita pariter cum decem Tribubus actum credimus, ut sensim & per turmas in Patriam dilaberentur; quare nullum certum ejus rei tempus in historiis designari poterat.

Vestigia tamen ejus rei non obscura monstrantur in Prophetis, & Josepho. Isaias post narratum disertè in cap. 26. reditum Judaeorum e captivitate, & Babylonis desolationem; proximè sequenti capite commemorat futuros post reditum e captivitate gentis suae eventus. Describit infelicem persecutoris exitum, atque exigendam a Domino ultionem pro sanguine in Jerusalem effuso, atque vinea sua eversa, dissipataque: nimirum Deum omnem regionem inter Euphratem Nilumque percussurum, commissurumque demum, ut filii Israel congregentur unus & unus. Haec Prophetae vaticinia impleta credimus sublato Cambyse, & Regno ineunte Dario filio Hyftaspis, a quo restituta facultas excitandi Templi, tum & faciendorum moenium Jerusalem.

Ezech. 39. 25.

Ezech. 4. 5. 6.

Porro, ait, diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Iniquitatis autem nomine hic Scripturae phrasi ultio iniquitatis, sive juxta alios, periodus scelerum, & idololatriae Israelitarum designatur.

Hujus 390. annorum iniquitatis Jacob, & 40. Juda periodus unde nam repetatur, ubi pariter absolvenda sit, varii varie contendunt; una est tamen omnium sententia, eo numero designari tempus oppressionis earum gentium, & poenae pro criminibus subeunda. Prioris illius periodi exordium componit S. Hieronymus in Ezech. 4. cum prima captivitate sub Phacee Rege Israel, subeunte in Galilaeam, & Galaaditidem Teglathphalassare, atque versantes in his regionibus Tribus asportante (a); exitum vero designat postremo, nempe quadragesimo Darii Mneomonis anno; quando scilicet (sub Esther, & Mardochæo) omnis Populus Judaeorum de mortis periculo liberatus, recepit pristina libertatem. Revocari etiam posse censet exordium ejus temporis ad oppressionem Israelitarum sub Manahem [b], auctore Phul Rege Assyriae; ejusque exitum statui anno 20. Assueri, cum scilicet historiae Amani, & Mardochæi, simulque procurata ab illo Israelitarum libertas contigit. Ad iniquitatem Juda 40. annorum quod spectat, id maxime revocandum censet ad primam captivitatem Judaeorum sub Jechonia, usque ad exitum captivitatis anno primo Cyri. Juxta nostram Chronologiam supputantur 43. sive 44. anni a captivitate Jechoniae ad usque obitum Balthasaris (c).

a 4. Reg. 15. 29.

b 4. Reg. 15. 19.

c Vide Tabulam chronologicam in Danielen.

d Vide Orig. Polychron. Hieron. hic, & Edit. Rom. Nobilit.

Judaei persuasum habebant, referente S. Hieronymo, ab anno secundo Vespasiani, quo scilicet Templum eversum est, solidis 430. annis in oppressionem manendum sibi esse, quemadmodum eodem temporis spatio Aegyptiacam captivitatem Patres suos tolerasse credebant. Huic periodo conficienda simul jungebant summam 390. annorum Israelis, & 40. Judae. Verum jam inde definita temporum periodus evoluta est, nihilque de pristinis Judaeorum ærumnis remissum. Eodem enim jugo servitutis, quo olim, oppressus miserimus Populus ingemiscent.

Variant exemplaria Septuaginta in numero dierum, quo in latus sinistrum Propheta cubavit (d). Legunt alii; Dormies super latus tuum sinistrum centum quinquaginta dies, & numero dierum trecentum novaginta portabis iniquitatem Domus Israel. Ita Editio Romana, & Theodoretus. In aliis exemplaribus altera ex istis supputationibus exprimitur, altera reticetur. Conveniunt alia exemplaria cum Hebræo, & nostra Vulgata. Nequidquam autem variis hisce lectionibus obstantibus, Theodoretus sermè in sententiam S. Hieronymi abit; namque periodum 150. annorum Israelis componit cum anno 5. captivitatis Jechoniae; exitum statuit anno Artaxerxis nono, cujus facultate ductus Nehemias ad restituenda Urbis Metropolis moenia venit. Eadem sermè Maldonato arident.

Qui vero nomine iniquitatis designatum credunt tempus praevocationis Israelis, Ffff il-